



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

25. S. Walpurga Virgo, & Abbatissa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

238 XXV. Februarii. S. Walburgæ.  
miliam &c. Crucifixum intuemur: & su-  
perbimus?

Dies S. Walpurgæ Virginis, &  
Abbatissæ, nec non infirmorum  
Thavmaturgæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**A** ipsiis propè incunabilis suam Chri-  
sto dicavit Virginitatem, & in per-  
petuum hujus obsequium sese obtulit  
Walpurga Virgo tenerrima. O fili! fa-  
cilius est servire Deo, quam credit ho-  
mo. Mandata profectò cuius gravia  
non sunt. quare? respondet S. August.  
*Non enim est durum, nec grave, quod  
ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod  
imperat.*

*Instructio meritoria.*

Ut huic Redemptori toties debito  
charitatis obsequio non desimus, sati-  
gamus, vel imposterum à signo primæ  
exitationis primas Diei cogitationes ad  
solum dirigere Deum, orantes flexis ge-  
nibus tria Pater, & Ave cum totidem  
Gloria Patri. Vincatur natura, ubi  
agitur de augenda Dei gratia.

Præ-



## II.

**P**ræfuit Virginibus adeò feliciter, ut sanctæ Walpurgæ virorum quoque committeretur cura, & sollicitudo. Non mirum : Eminuit enim charitate, & castitate angelica. Hæ virtutes sunt, quæ & animas servant inter pericula. Ubi illæ, ibi & Deus. Ubi autem Deus, quis sibi timeat ?

*Instructio meritoria.*

In Charitate, & cordis innocentiam nostram ô fili ! frequentemus hodiernam conversationem, præmittentes vel in cubiculo, vel templo Domini Psalmum : *Deus misereatur nos!ri, & benedic nobis.* Tela prævisa minus feriunt. Cum sancto sanctus eris.

## III.

**I**nnocentiam S. Walpurgæ mirò remuneratus est Deus prodigiò; quia ex benedictis Castæ Virginis ossibus oleum profluuit humanæ infirmitati saluberrimum. Impurè qui vivunt, retinere non possunt, oleò tam sancto è vasculis occultâ vi subtraditò. Cessant ô fili ! prodigia, ubi incipiunt peccata. Animæ mundæ nunquam

quam malè est : benè semper. Quæ  
cura de nostra?

*Instructio meritoria.*

Ut vivamus sani corpore , & integri  
animâ , Thavmaturgam veneremur no-  
stram S. Walpurgam , recitandô hym-  
num : *Jesu! Corona Virginum* cum ora-  
tione de Festo. Noctûque sensus nostro  
ad modum extremæ Unctionis signe-  
mus dicendô : *Indulgeat mihi Dominus*  
*per S. Mariae , & B. Walpurgæ interces-*  
*sionem , quidquid deliqui oculis &c.*  
Sensuum ubi sollicita custodia , ibi au-  
nulla , aut rara peccata.

**Festum Leandri Hispalensis**  
Archiepiscopi , & Doctoris ex S.  
Ord. S. P. Benedicti.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**A**Rianam pravitatem laudemus ho-  
die meritis S. Leandri totâ ejectam  
Hispaniâ. Magna hæc gloria est tanti  
Doctoris , quam & ipsa solemni ritu ce-  
lebrat Ecclesia. Hæc triumphat in ho-  
stes solâ virtute , doctrinâ , & vitæ exem-  
plis.

In-